

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**PSALMODIA HARMONICA, SIVE PSALMI VESPERTINI  
NUMERO VIGINTI PRO TOTO ANNO CONSUETI, ARIOSE ET  
PER FUGAS DUPLICIS SUBJECTI STYLO NOVISSIMO  
DEDUCTI, UBI HABENTUR ETIAM DUPLICES VESPERAE  
INTEGRAE**

**Oswald, Andreas**

**Augsburg, 1733**

Rückdeckel

**urn:nbn:de:bsz:31-39171**

# SERENISSIME PRINCEPS, FUNDATOR CLEMENTISSIME.

**P**Io fascino, suavi benevolentiae illico, vel vi gratitudinis ineluctabili me trahi non diffiteor, dum primam hancce Musices Opellam TUIS SERENISSIMIS substerno pedibus. Ita suum ad polum occulte ingenitâ naturæ vi magneticæ trahuntur acus. Suum ad centrum scintillantes evolant flamarum globi. Suam in concham cœlestes destillant guttæ. TIBI, utpotè sacro templorum cultui addictissimo, sacrandam censui rem sacram, qui à teneris unguiculis cum lacte MATER-NO pietatem imbibisti. Hinc magni refert, quo succo virtutum prima ætas imbuatur. Inarati teneriori arbori characteres in anno stipite leguntur. Ver floridæ ætatis Autumno Viri plerūmque respondet. Non solùm Canora Clio suâ chely Aulas incolit ad tripudium, sed & sacratior Apollo cytharâ suâ in splendidissimo Rastadii templo resonat ad animæ solatium. Placet & in divinis sua novitas. Regius Psaltes, ac Cytharœdus non tam verborum colore, quām animi calore animatus canit, & canendo incanescit, dum suos hortabatur: *Cantate Domino Canticum novum.* (a) Alludit, non illudit Augustinus: Quid enim habet Canticum novum, nisi amorem novum? Cantare amantis est. Vox hujus Cantoris fervor est sancti amoris. (b) *Davidi cantabiles erant justificationes.* (c) Ut Deum co-leret hebræam Musam excoluit. Ut notum facerem affectum meum haud ignotus, magis tamen *NOTIS* volui innotescere & *NOTAS* in lucem *NATAS* sub glorioſissimis Auspiciis SERENISSIMO NOMINI dedicare. Attamen animis hæreo, nè Chorum his onerem, quām ornem, & citius amarorem, quām amorem accersam. Verùm atlanteâ succollante TUA Tutelâ non animô cado, sed erigor in spem certam. Non Curis angor, me Theonino Criticorum mordendum dente, forti TUO obvallatus præsidio eludam vocaliores Cicadas, Architæque crepitacula surda transibo aure. Noverint Tibiis canendum antequām Tubis. Dum voces sonô animantur, jam amantur. Chordis corda trahuntur. Si commento Orphei fidem adscribimus, faxea efferatorum hominum pectora in molle benevolentiae ceram tono musico colliqueſcunt. Spiritosam ejus vim senserat olim Regis Saulis Spiritus, (d) qui subito ad Cytharœdi ſonum discordem animi affectionem ad Concordiam excitabat. Tantum in hominem est Musicæ imperium. TUA Clementia non feras, sed feros trahit. Fœderati sunt Principibus Civium amores, ubi & Principum sua

(a) Ps. 95.  
(b) Serm. 256. de temp.  
(c) Ps. 118.

(d) I. r.  
Reg. c. 16.



sua in Cives dignatio; jam si pedissequus inest his fastigii Fastus etiam & subditis satelles odium. Æmulatio quædam divinitatis est in terris suas habere Creaturas. Plasmare aliquam Creaturam par cum Deo elogium. Ut sint felices multis concessum est, ut felices alios reddant, non nisi Maximis. Fontis eò major laus, quò latius in commune devolvitur. Felicium quoque quò plures beant. Mutæ sunt præsidentium vóces, si vocales non sint præcipientium actiones. Non elatae mentis *AL T U M* intonas, sed *B A S S U M* profundæ Christianæ humilitatis. Ita cum serenissimus sit sol in nube modestiæ melius apparet. Eundem servas vitæ integræ *T E N O R E M*, & *S O P R A N O* suaviter cantillas, dum te excubante securi dulcem in Morpheum subditi colliquescunt. Quod si concentu virtutum nihil est suavius, præstantissimus hac in arte Musicus audis è cœlestis Hierarchia Phonasco edoctus. Quia vero non carent fastidiis fastigia, ideo patientia TUA est velut cythara, quæ pulsata dulce melos edit. Non pleno Organo, non plenis buccis TUA crepo laudum præconia, TUA virtus sibi Tuba. Amant impendia lucis magnæ animæ, nec umbratiles esse sustinent, quibus ad splendorem datum est nasci. Hinc AUGUSTISSIMA SUA MAJESTAS CAROLUS VI. aureo TE insignivit vellere, ut animum sibi magis concatenaret. Non parcus in Titulis honor, ubi digna deprehendit Nomina. Æstimate novit, qui à se Magni sunt, Fortunam statim conciliat, dum egregios videt. Non diu Debitorem vult agere honor, meritis se protinus exsolvit. Parata sunt Magnis Viris præmia, Virtutemque vix aliquis possederit, statim Fortunam in censum habet. Adeoque gratiam non fecit TIBI honor, sed debitum exsolvit, dum meritam TUAM coronavit indolem. Stipendiarium est semper virtutibus Culmen, & dignitas egregiis factis vestigialis. Vive Religio-nis nostræ Tutamen & juvamen. In spes amplissimas progenitus Serenissimus Surculus in fruges maturas ex crescet. Quem jam lactant Gratiæ, eduent in sinu suo Musæ. Nulla proinde adversatum Nebula frontis exporrectæ serenitatem, nulla dolorum acerbitas oculorum suavitatem, nulla falsè usurpata Ambitio Tuam oris oblitteret dignitatem, residentis ad singula fortunæ obstacula vultus constans, vitæ amoenitas, & amœna animi Constantia perennet. Propitii Cœlites TE cum tota SERENISSIMA DOMO BADENSI in Nestoriam Pyliamque senectam superesse velint. Quot pausæ in hoc opere continentur, tot annis in tranquillitate pausa. Quot suspiria, tot vitæ suspiria trahas. Notæ animentur in voces, excitentur in jubila, conglomerentur in vota, preces & gratulationes. Ita precor

## SERENITATIS TUÆ

Inimus Capellanus

P. Osvaldus à S. Cæcilia è Scholis Pis.

